MUNERA
Quæ
Nuptiis Auspicatissimis,
REVERENDI, CLARISSIMI, ET DOCTISSIMI VIRI,
DN. ANDREÆ
VIRGINII, Doctorandi, Ecclesiæ Gartzensis Pastoris & vicinarum Præpositi dignissimi, vigilantissimi, SPONSI:
UT ET
LECTISSIMÆ, PUDICISSIMÆ, NEC NON moribus & probitate politissimæ
VIRGINIS
ELISABETHÆ,
VIRI
Clarissimi, Doctrina, Prudentia, rerumque usu Præstantissimi
Dn. STEPHANI KNICKENBERGII, Reipubl. quondam Rostochiensis Secretarij primarij p. m. relictæ filiæ, SPONSÆ,
Ipso ELISABETHÆ die Anni currentis 1628. Rostochij celebratis:
EX MUSARUM THESAURIS
Obtulerunt
FAUTORES ET AMICI.

ROSTOCHI, Literis Joachimi Pedani, Anno 1628.

ANnos ante duos menſuram nominis implens
Te (ſcio) præſtabas vir Reverende virum.
Quum tibi Virginio virgo concredita pura eſt,
Quæ ſponſa eſt Chriſto ſpeq́ fideq́ ſuo.
Curaſti hanc rectê. venit altera virgo, quid illa?
ut græca κούρα cura latina cadat?
Scilicet illa mala, exedit quæ pectora multa,
Firmiùs aſt hinc ſtet, quæ bona cura gregis.
Dum tua Eliſa geret privata negocia, & ædes
Quæ poſcunt, ſed tu publica ſolus obis.
Sic diviſa die cum veſtra negocia, ſerò
Lecto uno corda & corpora juncta jacent.
O, veluti in templo tibi fractus ſæpe recedit
Mons vitij pravi flagitijq́ mali,
Sic etiam in thalamo mons omnis cedat, & abs te
Colliſa, occurrent quæ-tibi-cunq́ mala.
Hoc voveo, nec VIRGINIUM te porrò putabit,
Senſit ubi fortem pulchra virago virum.
Sicut & è ſilicis venis procuditur ignis,
Colliſa ardori ſic tuo Eliſa calet.
Ergo ſævæ hyemis ne te mala frigora lædant,
Et lautè & cautè proſpicis ipſe tibi.
At ſol juſtitiæ fac hyems mala tranſeat iſta,
Quâ gregis emarceut paſcua læta tui:

Fac

Fac sponso sponsæq; piæ hæc illuxerit hora,
Quâ meliora boni tempora veris eant.
Omnia quo crescant, florescant atq; vigescant,
Quæ nive tristitiæ nunc tumulata jacent.
Interea solo sit spesq; fidesq; locata
Nostra Deo, luce hac ELISABETHA monet.
Hoc tibi sponse sedet, dum contrà audentior ire
Gaudes, nec duris terga dedisse juvat.
Avocet hoc alios tempus, ne fœdera jungant
Conjugij, te certè advocat illud idem.
Macte animo hoc. fortes fortissimus ille Jehova
Adjuvat, ANDREAS deseruisse nequit.

Sic tempore malo malis versibus omnia fausta optimis sponsis precari voluit

JOHANNES TARNOVIUS S. S. theologiæ D. & Professor.

D*Ic quæso, NEONYMPHE, quibus rationibus esse competat* ANDREAM, *VIRGINIUMq; simul?*
Nemo Virgineus *potis & simul esse* virilis,
Andreæ *qualem vocis origo notat.*
Si vir Virgineus *quisquam audiat; ille virili in sexu mulier, fœmineoq; vir est.*
Virginei *procul est* viri *ceu fœmina compti:*
nam vobis potior Virgo viralis *erit.*
Virgo viralis *Amazonidum de gente probatur;*
sed laus Virgineos *non manet ulla* viros.
Virgo *prima quidem Genitrix EVA dicta* virago:
verùm Virgineus nullibi dictus ADAM.

Dic ergò Neonymphe quibus rationibus esse
competat Andream, Virginiumq; *simul?*
Fœmina sumpta viro *meritò dicenda* virago:
Virgine *sit sumptus* Virginius *sequitur.*
Mascula progenies semel est de virgine nata,
post hâc nulla venit mascula progenies.
Anné viro natum te parturiente putabo,
ut fertur cerebro nata Minerva Jovis?
Sed cesso, mittoq; sales, quos ruga Catonis,
& frons Censoris continuare vetat.
Andreas *modò sis, quum spiritualia* JOVÆ
armatus sancto NUMINE *bella geris.*
Virgineus *castis imiteris moribus Agnum,*
Grex tuus ut virgo *sit maneatq; stude.*
Ut CHRISTO *pulchram possis adducere Sponsam,*
extremus quando venerit ille dies.
Teq; virum *præsta ducens* Andrea *maritam,*
Sponsam Virgineis dotibus egregiam.
Virginio *quæ digna* viro *te* virgo *putatur,*
tuq; Andrea *illâ* virgine *dignus eras.*
Sic claret, Neonymphe, quibus rationibus esse,
competat ANDREAM VIRGINIUM*q; simul.*

Festivitati nuptiarum Dn. M. ANDREÆ VIRGINII, Fautoris & fratris mei conjunctiss. ab Ephebis mihi usq; cogniti hoc, si quid in eo festivi, consecrare volui.

JOACHIMUS ENGELBERTUS,
Ecclesiæ Rostoch. ad D. Jacob.
Pastor.

Verbis,

VErbis hisce bonis syncero ex corde profectis
& Sponso & Sponsæ gratulor atq; precor
Hos ut qui junxit sociali fœdere Christus
junctos in multos servet amore dies.
Tranquillaq; juvet concordes pace, bonisq;
ditet, & intra annum prole virente beet.

M. HENRICUS VULPIUS,
Scholæ Rector.

ÆGrè formosam poteris servare puellam:
Nunc prece, nunc auro forma petita ruit.
Ne fidas formæ populat quam morbus & ætas!
Multis causa mali candida forma fuit.
Si scires, quantis circumstet forma periclis
Malles Sisyphij ponderis esse reus.
Sit formosa aliis uxor, Tibi sit Bona: nescis
Quam noceat castæ forma pudicitiæ.

M. JOHANNES STRUBORGIUS.

M. ANDREAS VIRGINIUS
per ἀναγ. u eliso
NAM VIRGINIS ARDES

QUam benè conveniunt rebus tua nomina sponse
Te vel & ANDREAM, VIRGINIUMq; vocem:
VIRGINIUS rectè es dictus cognomine: namq;
Virginitatis amans, virginibusq; faves:
Sedulò Virginios Charitum es sectatus amores,
Musarumq; simul Virgineumq; Chorum.

Tandemq; ex multis sociam tibi seligis ILSAM,
Hujus amore ardes Virginis, Illa flagrat.
Imperio at subjecta tuo si paret honestè,
Nomine tum proprio jure vocandus eris.

M. ZACHARIAS Deutsch.

Omnia sunt hominum ceu fulmine quassa, repente
Quaeq; ruunt, fixum nil scit habere locum.
Quos lux felices hodierna salutat, eosdem
Crastina praecipites in mala fata trahit.
Ludit in humanis quanto discrimine rebus
Sors furibunda? uno nescia stare loco!
Unde solum nil est dubiae se exponere sorti,
Casibus atq; malis vivere secla solum.
Ergo tibi sociam, Clarissime Sponse, *maritam,*
Dum legis in vita, rem facis egregiam.
Namq; potest lenimenq;, potest hac esse levamen
Ubertim quando sors malè sana furit.
Increscunt varij cum languida corpora morbi
Alter in alterius sorte juvamen erit.
Quid magis humanum, quam si communia ducant
Fata, quibus juncti corporis una caro est?
Quod superest, sponsis *faustos congrator honores,*
Atq; Deo à forti commoda mille precor.
Exaequet pia virgo virum *bonitate perenni*
VIRGINIOq; cedat nulla querela Viro.
Diligat assiduè socius te sanguinis illo,
Quo pius affectu Castora frater amat.
Non mala suspicio mentes exasperet acres
Non turbet vestrum dira Megaera *thorum.*

Candida

Absint compositæ fucato in pectore fraudes
Insidiæq; doliq; absit & omnis ἔρις.
Candida pax adsit, concordia mitis, amorq;
Sanctus, & his socio pectore juncta fides.
Quæq; juvat gravidas utero Lucina *puellas*
Obsequio veniat grata futura suo.
Vos socialis amor jungat firmissimus, ut non
Sit tantum Coo Batis *amata suo.*
Reddite fœcundi communia pignora lecti
Sit sine bile dies, sit sine fine salus.
Vivite concordes, donec Matuta *recursu*
Purpureas luces continuante ferat.
Hæc optasse sat est: Vale digne viragine sponse.
Cœtera qui dabit hæc, addere plura potest.

Faustæ acclamationis ergò appositum
à
M. HENRICO NICOLAI
Dantiscano.

NEu sit Elisæ tibi amor pudori
Clare Virgini: prius insolentem
Eva spectatâ facie virago.
Movit Adamum.
Movit Isaco genitum parente
Forma Iacobum nitidæ Rahelis:
In γυναικάω *mediò perarsit*
Virgine Hadassâ.

Rex

Rex Ahasveros locuples, potensq;
Regiò, postquam, est spoliata honore,
Lene præceptum Domini recusans,
Impia Vasthi.

O scias, quod TE GENERUM *parentes*
Candidæ Sponsæ decorent honesti.
Stemma præclarum, minimæq; mores
laudat iniquè.

Crede, non ILLAM *tibi de malignâ*
Gente selectam, neq; sic fidelem,
Sic malo adversam, potuisse nasci
Matre pudendâ.

Brachia, & vultum, teretesq; suras,
Et quibus suprat reliquas puellas,
Ritè Virtutes celebro, JEHOVA
Augeat istas,

Repleat vestramq; domum SALUTE;
PROLE, FRUMENTIS, REQUIEQ; *dulci, &*
Turbines sævos ab EA *benignè*
Arceat, opto.

Amicitiæ, honoris ac fausti ominis
ergo app.
ADAMUS Seidenschwantz Garc. Pom.
Cantor Nicol. Rost.

DUm tibi Virgini nunc festa Hymeneia parantur
Atq; tuum ingreditur Virgo venusta torum.
Virgo

Virgo venusta piis clarisq; parentibus orta,
Hæc ego pro veteri carmina amore fero.
Conjugium felix sit vestrum: sit diuturnum:
Sit sine lite domus: prole frequente torus.

εὐφημίας ἕνεκα F.
amico suo veteri
ZACHARIAS JULICHIUS Dramburg. Neomar. Cantor Petrin. Rost.

ARma virûm, patriæ terraq; mariq; minantur
Interitum, paltet subitæ terrore ruinæ
Mundus: etior thalamum *VIRGINO* ducitur uxor!
Præstiterat, vir Clare, *tuo cum nomine* Virgo
Tutus oves, *vitam cum* virgine *vivere, in bisce*
Quam sine fine malis, â virgine perdere nomen.
Ergo cum fiet hæc mutatio plena pericli
Cuncta Deus mutans, faciat sit fausta precemur.

Viro Clariss. Lmq;.
F.
ELIAS TADDELIUS.

Asmodæus ad Dn. Sponsum.

PIerides fuge, nec pastor sis, pessima corde
Dilige, nec Nympham duc tibi flexanimam.
Lethiferam tibi duc Nympham, nec dilige Sponsam,
pectore, sis torvus, nec bona commemores.

B Raphael

Raphael ad euudem.

Commemores bona, nec torvus sis, pectore sponsam
Dilige, nec Nympham duc tibi lethi feram.
Flexanimam tibi duc Nympham, nec dilige corde
Pessima, sis pastor, nec fuge pierides.

Cl. Dn. Sponso, favitori & amico meo pl. colendo gratulab. f.

THOMAS EDLER.

Multis subest
Miratio
Hujus diei cur siet
Plurima.
Lubentia
Et gratia.
Queîs omnibus respondeo
Carmine.
Isthoc meo
Incomptior
Quod Musa dictitat mea
Hactenus:
Tu suscipe.
(Curatio,
Miratioq; plurima.
Quem tenet)
Lætissimos
Hos nuncios
Lætissimô de munere
Lætior.

FAUSTUM SIET
BENISSIME!
Virginius Philosophus
Et sophus
Legis Dei
Clarissimus
Mihiq; dilectissimus
Vir bonus
Mentis probe
Fidei probæ
Elisabethâ virgine
Comite
Sicaniæ
Basilicam
Nunc prosperante visitat
Numine
Puellulus
Corditrahus
Amorem hiulcum exasciat
Et polit

Hinc

Hinc pectora
Hinc lagones
Medullulas & intimas
Illinit
Illecebra
Hujus sua, &
Illius & Lubentiæ
Augmine;
Hinc Sancus &
Sicania,
Et trina grata gratia
vitulat.
Hinc magna vis
Mentis bonæ
Virûm, decentius coit
Et simul
Flos virginum
Matrumq; flos
Omnis capit lenissimis
Auribus
Dulcissimam
Hanc Musicam
Quæ personat, lenissimis
Auribus
Omnis capit
Mystæ sonum
Quem protulit dũ copulat
Pectora,
Hæc pectora
Quæ crebrius
Amare semet invicem
Glutine

Amoris &
Lubentiæ,
Dulcissimæ Sicaniæ
Glutine
Tu dum sies
Virgunculæ
Ferruminatus valdius
Glutine;
Virgunculæ
Quæ se suo
Urit nitore simplici
Plus vice.
Hinc condecet
Hinc perlubet
Simul licetq; amasio
Carmina
Jam dicere,
Festas dies
Lubentiæ quæ suppetunt
Augmine
Gratarierq;
Hoc carmine
Miserrimo, vota hæc Deus
Comprobet
Vos conjuges
Diutini
Valete, prolem gignite
Plurimam.

L. M. Q. opera tamen adfectâ F.
NICOL. Hanenfeldt Livonus.

FAta minabantur patriis quanta heu! mala tectis
Nuper, dum Clypeata cohors, eques & Cataphactus,
Bellica signa ferens, mox se propè mœnia sistit
Cuncta ut diriperet prædis dirisq; rapinis
Mavortis conjunx ardens Bellona volebat.
VARNIADES MUSÆ obstupuere & mente subinde
Has voces geminant secumq; in corde volutant:
Heu dolor! an sic fata volunt immitia nobis?
Anne medela malis venientibus agmine tantis?
Pulpita quæ Musis sunt designata colendis
Occupet in domitus miles sua Castra nocetq;?
Talia VARNIADES quum secum corde volutant,
Tum pater æthereus qui dirigit omnia nutu
Momento inflexit sensus animosq; virorum;
Cui merito grates Canimus juvenesq; senesq;:
Nec cantus Erato renuat nec graia Thalia
Ne refugat Clio aut Pelymnia tendere chordas;
Sed simul unanimes MUSÆ & Grynæus Apollo
Suave melos fundant felicia fata precantes.
Nunc agitè ô charites lætæ dulcesq; Camanæ
VIRGINIUM Sponsum, Clarum, Christiq; ministrum
Qui sibi pierias constanti fœdere MUSAS
Junxit VIRGINIES Charitum sectatus amores,
Absq; nova Elogiis jam jam celebrate benignis.
Gaude VIRGINI venit tibi VIRGO puella.
Quam pudor & mores formosa virgine digni,
Sanctaq; commendat VIRTUS PIETAS PROBITASq;
Felix quem tali SUMMUS, consorte beavit.
Gratulor atq; precor felici sidere firmet,
Conjugium captum, tædarum Fautor, & Autor.

Vna

Una fides, unus Christus, Cor, pectus & unum,
Una sit ambobus, mens concors, una voluntas.

Grat. apposs.

Henricus Langius.
S. S. Th. Stud.

Quàm benè conveniant, Tu Pastor *diceris &* Vir
Sponsa autem Virgo, quæ tibi nupta datur,
Sponsa puellaris specimen laudabile cœtus,
Sponsa puellaris gloria summa chori.
Fac floreat, crescat divini gloria verbi,
Fac crescat beandi gloria prole thori.
Sic benè Pastoris *clarum defendere* nomen;
Sic perdulce potes nomen *habere* viri
Ergò tibi meritò duplici *de* nomine *grator,*
Et precor, ut subeas mœnia bina, Vale.

Bonæ mentis memor Imq; deprop.

Johannes Hartman.
Rigâ-Livon.

MUlta salus thalamo: stabili, Deus ipse dicavit
perpetuum, jungi corpora bina jugo.
Hinc ergò læti Heonymphi pergite ad aras:
pangite legitimi fœdera sancta tori.
Sit Sponsus Sponsæ dulcis, sit sponsaq; Sponso;
sit, precor, & caro cara marita viro.

Adsit, permaneat, contingat, jugiter annis,
vita, salus, soboles optima, firma, nova.

Fausti ominis ergò ità acclamare
l. mq; volui.

Michael Gutzmer.
Sternbergâ-Megap.

IN sua VIRGINIUM traheret cùm retia Cypris,
Et dubitaret, ei quam sociare velit.
Juno superveniens, quid star incertior? inquit,
VIRGINIO viduam num meditaris heram?
Non ita: florenti si quisquam virgine dignus
Nympha, VIRGINIUS virgino dignus erit.
Sic ea. Virgineum tum protinus illa theatrum
Ingreditur, Nympham VIRGINIOq; legit:
Nempe coruscantem Generis splendore puellam,
Cujus in occursum fertur amore procus.
Cujus in amplexus placidè ruit, oscula Nymphæ
Libat ut thalami pars, rogat, esse velit.
Annuit illa; favet Cypris; fovet omnia Juno
Prospera, dat celsâ Juppiter arce sonor:
Quàm benè conveniunt, & in uno porrò morantur
Conjugij VIRGO VIRGINIUSq; toro.

Honoris gratia ità acci-
nebat

Simon Johan Gutzmer
Sterneberg.

Quis

QUis furo impavidos admiscuit hostibus hostes?
Fortia si periment fortia, cedit amor.
Hic video pariles, nec parvis viribus, hostes
Certare, audaces ponit uterq; manus.
VIRGINI, Sophiæ decus in delebile, bello
Instas: in bellum te NEONYMPHA vocat,
Nec venit imbellis, licet expugnabilis ista:
Labra duces, oculi spicula, miles amor,
Certatur, fortem se præstat uterq;, superstes
Ecquis, ubi nullus lædere parcit, erit?
Hæreo, quantumvis nullum mihi prælia finem
Promittant, sponsus vincere uterq; studet,
Dumq; volat dubiis tandem victoria pennis,
Quem credas nunquam posse jacere jacet:
Surgit at hic rursus. Nec enim procumbere turpe est
Surgenti, si illud non remoranter agat.
Si modo quæ victrix est ELSABE, vincitur, illi,
Illa potest Sophiam vincere, at hic Paphiam,
Conjurant ambo, fit nexus, firmior atqui
Ut sit, vos jungat connubialis amor.
Tanta salus bello, quanta est concordia victis,
Plura tamen det amor prælia, vester amor,
Si dabit ut dederit, longè majora precabor,
Scilicet in vestrum pignora multa torum.

ANDREAS BALCKIUS
Wism: Megap.

Votum

Votum pro novis Sponſis.

JOVA, JUVA, AMEN.

J ura tui dum ſponſe tor J intrat ſponſa pudic A
O mnigenis radians Virtutibus, hancce ſororeM
V nicè ama, ſitis Veſtro benedicti in amor E
A c longævi & mutuum Amara in ſorte levameN.

φιλίας ἕνεκα apponebam

Stephanns Knickenberg
S. F.

